

COMMENTARIVS  
DE  
VITA  
DOMINI  
D. FRIDERICI  
HOFFMANNI

REGIS BORVSSIÆ CONSILIARII INTIMI  
ET ARCHIATRI MEDICINÆ PROFESSORIS IN  
ALMA ACADEMIA FRIDERICIANA  
PRIMARII &c.

AUCTORE  
IO. HENR. SCHVLTZE  
PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORE  
AC PROFESSORÈ PVBLICO.

---

HALÆ MAGDEBVRGICÆ. 1740.  
Prostat in OFFICINA RENGERIANA.

COMMUNIST PARTY  
ATTORNEY  
DO NOT  
DETROIT  
HOFFMANN

THIS BOOKS & CONS. PART  
THE UNITED FRONT PROGRAMS IN  
THE AREA OF THE AMERICAN  
IN THE  
WORLD

TO THE  
PHYSICIAN  
ACT



94818-

11

PHYSICIAN  
ACT



COMMENTARIUS  
DE  
VITA  
HOFFMANNI.



Lorentissima & per totum orbem  
celeberrima academia *Fridericia-*  
*na*, quæ *Hale Magdeburgica*, auspi-  
ciii FRIDERICI primi Borussiae  
Regis & Electoris Brandenburgi-  
ci, Ao. MDCXCIII. fundata  
fuit, tam felici incremento mox caput extulit, vt  
non solum omnes litterarias ciuitates sub eiusdem  
regis scepro degentes et iam olim coalitas breui

tempore superaret, verum etiam vicinarum academiarum nulli quicquam concederet, siue famam & merita docentium in iisdem parum spectes, siue litteris operantium frequentiam & nobilitatem. Tam læti & ad votum potentissimi fundatoris omnino fluentis successus causam si quis quæserit, ex hominum quidem parte non aliam potiore facile inueniet, quam quod initio statim prouide curatum fuit, ne alii constituerentur professores, nisi nominis celebritatem consequuti, eaque ætate vigentes, qua & strenuis laboribus sufficerent, & rerum vsu iam essent subacti & exercitati. Vnde factum est, vt tot viris lectissimis per omnes, vt vocari solent, *facultates* summis viribus simul enitentibus, omnique ingenio pro nouæ academiæ gloria contententibus, nulla siue diuinarum siue humanarum rerum scientia fuerit, quam non noua luce collustrarent, adeo, vt mox in sui admirationem plurimos raperent, nec paucos ad æmulum studium provocarent.

Eluxit quam maxime hæc inter sidera doctrinæ elegantis copia & varietate ornatissimus, splendorum munerum meritorumque decoribus illustris & variis ingenii monumentis, artisque felicissimis operibus inclytus vir, Dominus FRIDERICVS HOFFMANNVS, Comes Palatinus Cæsareus, Regiæ Maiestati Borussicæ a consiliis sanctioribus & valetudinis tutela, doctrinæ naturalis & medicæ primus in academia

*mia Fridericiana Professor, & Primarius, omniumque, qui in ea publice docent, Senior, Academiae Casareae Naturae Curiosorum ut & Petropolitanae ac Regiarum Societatum Britannicae ac Borussiae Socius, patronus ac praceptor meus perpetuo obsequio ob plurima beneficia colendus.* Huius vitam tanto maiore fiducia litteris mandare aggredior, quod longa ac diuturna eius consuetudine usus, nullaque rerum ad illum pertinentium notitia destitutus tum commentarii de vita *Hoffmanni*, quem ipse composuit accuratissime particeps factus, certiora omnino allaturus esse videar, quam ab aliis expectari possint. His itaque praefidiis instructo & diligenter uso haud metuumdum videtur, ne mediocriter hoc, ab omnique ornatu vacuum scribendi genus minus gratum, atque posteritati demerendae minus idoneum existimetur. Non enim ignoro vitas ornatissime scriptas, & panegyrico sermonis habitu indutas, plures fere laudatores, quam lectores, invenire. Nam verborum exquisitus ille ornatus admitti nequit, nisi longum sermonem texamus, quem floribus illis oratorum tempestive interfertis distinguamus: haec vero ambages nimis facile eorum patientiam atterunt, qui rerum potius cognitione pasci, quam lenociniis verborum delectari consueverunt.

Videor autem mihi in laudatissimos HOFFMANNI nostri maiores inquirendo familiam vere Asclepiadeam

piadeam intueri. Quantum enim per duo admodum sæcula respicienti patet, medici, aut pharmacopœi sunt, quibus suam debet originem. Atque ut a materna stirpe initium faciam, indicandus est vir Præstantissimus *Wolfgangus* HOLTZWIRTH, ex familia nobilissima & consulari apud nos ortus, qui artis pharmaceuticæ studiosus illo tempore *Witteberga* versabatur, quo *Valerius* CORDVS magna sui nominis gloria *Dioscoridem* ibi explicabat. Tantopere autem CORDI doctrina capiebatur HOLTZWIRTHIVS, ut *Witteberga* discedentem eum *Romam* vsque prosequeretur, atque indiuisus comes & socius eidem MDXLIII. imatura morte obeunti adlisteret. Quum biennium *Roma* exegisset, stimulabat ipsum plura lustrandi & simplices medicinas in patriis locis requirendi desiderium, quasi hereditate a CORDO præceptore acceptum, ut *Venetis* nauem conscenderet & *Hierosolymam* vsque pergeret. Ex longinqua peregrinatione redux *Wolfgangus* noster A. MDLIII. Viri Magnifici & Consultissimi *Melchioris* KLINGII, archiepiscopatus *Magdeburgici* Cancellarii, filiam *Catharinam* vxorem duxit, & ex hac suscepit filiam *Elisabetham*.

Hanc vero *Elisabetham* HOLTZWIRTHIAM coniugem MDLXXVIII. duxit *Laurentius* HOFFMAN-

MANNVS, ex celeberrima episcopatus *Bambergen-  
sis* metropoli ortus, *Lipsiæ* autem artem pharmaceu-  
ticam edoctus. Hic *Friderici* nostri proauus, at-  
que HOFFMANNORVM *Halensium*, quotquot co-  
gnatione *nostrum* tangunt, fator fuit. Ex proge-  
nie huius *Laurentii* maxime notari merentur duo  
filii, LAVRENTIVS & ANDREAS: quorum ille  
IO. GEORGI I. Electoris Saxonix archiater, eximium  
& immortale nomen inter præcipuos Germanix me-  
dicos consequutus, nobilitatis insignia, A. MDCXXX.  
tribuente diuo FERDINANDO II. Romanorum  
Imperatore, familiæ *Hoffmannianæ* intulit, & inge-  
nii etiam præclara monumenta reliquit: hic autem  
pharmaceuticæ rei consecratus in hac vrbe mansit,  
& ex GERTRVDE, *Friderici* SEYFERTI, Aedilis &  
Camerarii *Halensis* filia, progeniuit *Fridericum* HOFF-  
MANNVM, qui *Friderici* nostri parens factus  
est.

Postulat hic maxime locus honorificam com-  
memorationem *Balthasaris* BRVNNERI, viri inter sui  
temporis medicos celeberrimi & de *Hoffmanniana*  
familia meritissimi facere. Erat is *Hale* natus, pa-  
tre *Laurentio*, ciue & senatore, qui originem du-  
xerat ex *Briga*, *Silesorum* vrbe & quondam sede  
ducali. Commendatissimus autem erat hic *Baltba-  
sar* magno trium Imperatorum archiatro Io. CRA-  
TONI a KRAFTHHEIM, in cuius ædibus aliquanto  
tem-

tempore vixit filii loco habitus. Non minus carus erat *Georgio LAVREÆ*, Electorum & Marchionum Brandenburgicorum archiatro, cuius filiam vxorem ducebat. Quum vero illam immatura morte amiffet, fecundis nuptiis sibi adiungebat *Laurentii HOFFMANNI* viduam *Elisabetham HOLTZWIRTHIAM*, eiusque liberis *Hoffmannianis* summa beneuolentia fouendis & educandis operam ita impendit, vt non in vitrici manus eos incidisse, sed amantissimum patrem in eo habere intelligeretur. Desponsabat hic vnicam filiam, ex priori vxore susceptam, priuigno *Laurentio*, quem ad optimas scientias & medicinæ penetralia deduxerat, eundemque commendatione sua potissimum iuuerat. Gratus hoc beneficium prædicat *Laurentius*, in præfatione, quam amantissimi vitrici socerique consiliis præfixit, quum apud nos MDCVII. primum ederentur. Eadem enim non ita pridem apud *Batauos*, procurante *Hermanno BOERHAVIO*, recusa esse, publice notum esse debet.

Transimus ad *Fridericum HOFFMANNVM*, *Andree* filium, qui A. MDCXXVI. apud nos natus, & litteris probe tinctus, medicinæ autem scientia *Ienæ* ac *Wittembergæ* imbutus, tantam crebro & felici artis exercitio famam consequutus est, vt *AVGVSTI*, *Saxonia Ducis* & archiepiscopatus *Magdeburgici* Administratoris, archiatri munus consequeretur.

Nomen



Nomen etiam illustre in republica litteraria scriptis immortalibus consequutus est; quæ inter maxime celebrantur *Methodus Medendi & Clavis Schrœderiana*. Hic in matrimonio habebat *Annam Mariam* ex antiqua & nobili *Knorriorum* gente ortam, *Friderici KNORRII* patricii & senatoris filiam, proxima affinitate iunctam medico & chymico clarissimo *MATTH. VNZERO*; cuius gener fuit itidem celebris *ANDREAS NIETNERVS*, Ducis Saxoniae & Administratoris Magdeburgici archiepiscopatus archiater. Ex hac inter complures liberos suscepit Ao. MDCLX. a. d. XIX. Februarii *FRI-  
DERICVM* nostrum, qui non solum omnes ex iisdem parentibus natos, verum etiam eiusdem familiae maiores, quantumvis laudatissimos, eruditionis & meritorum magnitudine ac dignitatum splendore, ita etiam longævitate, diuino quidem munere, longissime superavit.

Primam eius ætatem ad christianam pietatem & litterarum rudimenta, quantum sese explicantes animi vires capere poterant, pii parentes formarunt, eidemque tam necessario negotio idoneos homines in subsidium adhibuerunt. Quum hæc inter ætatis decimum tertium attingisset annum, publico vrbis gymnasio, tunc frequentia auditorum & docentium celebritate florentissimo, tradebatur. Inter ceteros eminebat *M. PRÆTORII*, neque minus *M. DRECH-*

DRECHSLERI, fidelis industria & singularis nec omnibus concessa facilitas, qua teneris adolescentulorum animis ea instillare præcepta nouerant, quibus ad altiores disciplinas cum fructu percipiendas præparari debent. Atque horum inprimis viro- rum fideli institutione per quatuor annos gauisus, præter pure ornateque loquendi & scribendi exercitia, per omnes etiam philosophiæ partes deductus, & mathematicis insuper disciplinis large imbutus fuit. Memini ipsum sæpe auditoribus suis, sæpius filiis, iisque, quos filiorum loco præter ceteros amabat, commemorare, nihil magis præclare sibi profuisse, quam quod mature ad numerorum doctrinam & mathematicas res tractandas fuerit deductus. Ita enim se adsueuisse clarorum & perspicuorum conceptuum desiderio, & ex cognitis certisque principiis obscuriora & incognita eliciendi demonstrandi- que methodo, vt deinceps, tam discendo quam docendo occupatus, non nisi quæ clara & perspicua sunt, vel ipsemet amplecteretur, vel aliis proponere amaret. Solebat in hanc rem commemorare HIPPOCRATIS ad THESSALVM filium epistolam, quæ huiusmodi studiorum in omni vita multiplicem fructum impense laudat, medicinæ vero cupido eadem seorsim commendat. Et ingenium omnino tale nactus erat *noster*, vt istiusmodi disciplinis, quæ certis conclusionibus innituntur & con-

nexæ

nexæ sunt, præcipue delectaretur: minime vero ferretur ad illa, quæ imaginationis & memoriæ ingentem vim & natiuam promptitudinem poscunt, vt sunt poetica facultas aut musica, item oratorix atque amplissima stirpium cognitio: quibus quidem iustum pretium statuit; ipse autem seucioribus istis, quæ iudicium & meditationem requirunt, animum a primis annis, & per omnem deinceps vitam, impendit.

Hæc inter domi ipsum ab otio illiberali satis reuocabat indulgentissimi parentis semper occupatissima ad aliis inseruiendum industria. Nam quum continuo illi adhærerent medicinæ studiosi, quibus per omnes artis salutis partes instituendis operam dabat; creberrime *noſter* doctissimo parenti adstabat, quoties vel anatomicis vel chymicis demonstrationibus occupabatur. Sicque vere illum reportabat fructum, quem isti præscorum Atclepiadarum filii, qui cum patribus, artis opera, eoque pertinentia progymnasmata, exercentibus continuo versantes, ipsi propemodum non sentientes, proficiebant, tamque profunde animis visa, audita, propriisque manibus tractata immittebant, vt facilius fuisset elementa literarum obliuioni tradere, quam ex animo hæc dimittere, quibus a teneris vnguiculis adsueuerant.

Tam felici successu, gradibusque citatis ad me-

tam studiosiorum decurrentem adolescentem acerba clades *Hoffmannianam* domum A. DCLXXV. affligens grauius perculit. Dei enim nutu fiebat, vt intra triduum vterque parens, & filia natu maxima, epidemio morbo, qui veris initio tunc sæuebat, abriperentur.

Non possum quin hoc loco commemorem, quod ex ore excellentissimi viri sæpe me audire cum summa iucunditate, nec minori fructu meo, memini. Nam, vt sæpe solebat, vel liberis suis vel familiaribus amicis, recensere, quæ sibi aduersa olim visa, ad felicitatem tamen veram promouendam potentissima, diuinitus euenirent, & non minus ex sobria philosophia, quam pietatis christianæ intimis doctrinis, de fructu ex aduersis capiendo grauius differere: ita huius quoque casus, non aliter meminisse solebat, quam vt diuinæ prouidentiae gratias ageret, quæ in maximam vtilitatem sibi & suis hæc euenire iussisset. Decefferant optimi parentes, quo tempore lubrica ætas natorum maxime indigebat parentum consiliis, monitis & multis ad vitam commodam subsidiis, ab illorum pietate & indulgentia expectandis. Decefferant non amplissimo patrimonio relicto, & huius non exiguam partem flammæ consumserant. Sed orba parentibus adolescentia ad Deo constantius fidendum, ad preces ardentius fundendum, ad virtutes amandas & honesta studia impensius colenda impu-

impulit, & loco fastus, quem felicissime *viuere adsueta* vix effugiunt, veram modestiam & inseruiendi promptum honestumque studium inspirauit: quibus virtutibus effectum est, vt satis mediocres opes, diuino adspirante fauore, sufficerent ad illud in vita consequendum, vt nemo illorum, quos tam grauis calamitas simul cum *nostro* perculerat, non abunde haberet, vnde vitam honeste, & cum decore toleraret. Quin nec studia, quibus se noster consecrauerat, detrimenti quicquam inde cepisse, idem probe accurateque ostendit. Nam quum mature gustum medicinæ beatus parens præbuisset, verendum erat, ne se his, quæ huic disciplinæ domestica & propria sunt, nimis cito immergeret, eorumque dulcedine captus segnius, aut minori saltem ardore ea tractaret, sine quibus hæc, quæ ad sublimiores scientias pertinent, nec bene digeri, nec communicari cum aliis possunt. Mansit autem gymnasii patrii alumnus vsque ad finem A. MDCLXXVIII. quo editis speciminibus eruditionis suæ per disputationem *de Mundo*, Præside laudato PRÆTORIO defensam, & sollennem orationem publice eidem vale dixit, & cum patronis ac necessariis amicis de ratione studiorum alibi locorum incunte, earumque sededeligenda deliberauit. Amor artis salutaris, *Hoffmannianæ* domui quasi gentilitius, semper animum *nostri* tenuerat; eius autem celeberrimus Professor

GEORG. WOLFGANGVS WEDELIVS in incluta *Ienensi* academia tunc vnus omnium maxime florebat: quare omnium consilio hæc ipsi schola Asclepiadei dogmatis eligebatur.

Quemadmodum mature cognouerat medico futuro maxime idoneas esse disciplinas mathematicas & philosophiæ naturalis assiduum studium ita in primis curæ cordique habebat, vt in hisce magis confirmatus, medicinæ operam felicius nauaret. Nec deerant tam honesto amori, qui abunde satisfacerent, celeberrimi tunc doctores *Eberhardus WEIGELIVS*, ille *ARCHIMEDES Ienensium* & *Io. Andr. SCHMIDIVS*, Theologus postea *Helmsstadiensis* & Abbas *Mariauallensis*, quorum doctrinis se plurimum debere gratus sæpe celebrauit. Ad medicinæ autem doctrinas recte percipiendas præter ceteros utebatur iam laudato WEDELIO præceptore: plurimum tamen ab assidua meditatione & frequenti bonorum medicinæ auctorum lectione expectabat. Sub hoc præfide in cathedra stabat, & A. MDCLXXVIII. & de *Menstruo ventriculi* disputabat.

Quum annum tempus *Ienæ* transegisset, omnibusque commilitonibus industriam suam comprobasset; rogabant ipsum non pauci amicorum suorum, vt se participes redderet domesticarum exercitationum, quibus chymiam assidue colebat. Horum itaque in gratiam, & vt ipsemet docendo magis

gis confirmaretur; hunc laborem minime subterfugendum duxit. Neque parum isto se studio tam illis, quam sibi, profuisse sensit. Enimuero maior erat cupiditas per chymiam speranda medico doctrinæ emolumenta consequendi, quam vt retinere se ipsum posset, quo minus ardenti desiderio suo quouis modo satisteret. Florebat tunc artis huius singulari laude *Caspar* CRAMERVS, medicinæ in vicina *Erfordiensis* academia Professor longe celeberrimus. ad quem anno MDCLXXX ineunte proficiscebatur, seque omni officiorum genere in amicitiam tanti viri insinuebat. Multum ipsi profuerunt prælectiones chymicæ, quibus assiduo studio intererat: sed longe plus emolumentum ex domestica conuersatione & quotidianis colloquiis eiusdem medici percipiebat. In hoc secessu elaborabat ad dogmata potissimum *Hermontiana*, quæ tunc in scholis medicis regnabant, quibusque luce physicæ doctrinæ plenius collustratus nuncium remisit, dissertationem *de Autochiria*, quam circa finem anni *Ienam* reuersus illustri WEDELIO legendam, & percensendam offerebat, vt, si digna luce esset, sub eius præsidio publice ventiletur.

Enimuero tantopere commentatio hæc celeberrimo viro placebat, vt *nostro* apertè declararet, tam egregium specimen maiori præmio se dignum existimare. Ne vero ambiguum esset, quorsum hæc tenderent;

derent; suadebat *nostro*, vt se illis viris adiungeret, qui tum honores doctorales ab ordine medico peterant & propediem reportaturi erant. *Noster* vero sine consilio & auctoritate illorum, quos patrum loco venerabatur, tantam rem adgredi minimè ausus, quum id Excellentissimo WEDELIO declarasset, ab ipso tunc Decano facile impetrauit locupletissimum testimonium, quod tutoribus & proximis agnatis vel affinibus exhiberet. Quo viso illi facile ad sensum præbuerunt, vt oblatos honores ambiret. His auspiciis examina legibus præscripta subiit, & cum omnium calculos promeruisset A. MDCLXXXI. vltimo Januarii die, *de Autochiria*, applaudentibus omnibus, disputauit. Hoc factò a. d. V. Februarii, quum nondum vigesimum primum ætatis annum attigisset doctorales in medicina honores, brabeuta & præcone toties dicto WEDELIO reportauit.

Enimvero *nostro* minime illa mens erat, quæ in pluribus conspicitur, qui publico eruditionis testimonio acquiescentes, non tam amplificandæ student, quam emolumentis cito reportandis inhiant. Vix doctorem e cathedra WEDELIVS *nostrum* dimiserat, quum iam flagraret cupiditate, maxime quidem laudabili, omnibus comprobandi quam esset docendo, cathedræque per se tuendæ idoneus. Periculum itaque virium sequenti mense Maio tanto cum successu fecit, vt disputatio, quam primam suis  
auspi-



auspiciis habuit *de cinnabari antimonii*, mox diuersis formis recusa prodiret, quum admirabilis & profunda chymia, quam pandebat, doctrina lectores vbi-  
cunque alliceret. Est enim *Lugduni Batauorum*, procurante celeberrimo *Paulo HERMANNO MDCLXXXV.* 12mo edita, & *Francofurti ad Mœnum MDCLXXXVIII.* in 8vo.

Quantopere iam confiderent noui doctoris *no-  
stri* dextritati ac peritiæ inuenes academici, mox elucebat, quum prælectiones in chymiam & alias vni-  
uersæ medicinæ partes institueret. Maiori enim numero & notabiliore ardore ad scholas *eius* confluebant auditores, quam vt æque animo ferre posse viderentur illi, quibus ordinarium docendi munus demandatum erat. Annuum itaque tempus, & quod excurrit, vtilitati artis cupidorum *Ienæ* impendit, hocque ad finem tendente *de morbo conuulsivo ex viso spectro* nouam disputationem publice propoluit.

Hoc facto *Ienam* tantisper relinquere statuit, vt crebrius repetitæ inuitationi viri Generosissimi & Perillustris, domini *Ioach. Mart. VNVERFÆRTH*, Serenissimi Electoris *Brandenburgici* Consilarii & principatus *Mindensis* Cancellarii affinis sui dilectissimi, satisfaceret, iamque vacillanti valetudini suæ hac peregrinatione contuleret. Euenerat enim ipsi, quod omnibus solet, qui intentius naturæ contemplationi & indagationi sese dedunt, vt corporum suorum

robora inquieta cogitatione nocturnaue vigilia miruant; iamque hypochondriaci morbi rudimenta non obscure sentiebat, & cur pulmonibus suis a phthisi metueret, haud adeo lata percipiebat præfagia.

Quum *Mindam* peruenisset, non solum ipsa itineris iucunditate admodum erectas & refocillatas vires mirabatur, verum etiam in honoratissimi affinis dilectissimæque sororis domo ita omnia ad votum suum comparata deprehendebat, vt reditum suum ad *Ienenses* musas longius, quam initio statuerat, differre non dubitaret. Sed quum mox intelligeret, quam planam sibi tanti viri domus viam ad amicitiam summorum in illa prouincia virorum panderet; diuinoque beneficio contingeret, vt pluribus graui morbo decumbentibus medicas manus singulari dexteritate, nec minori felicitate admoueret; amantissimæque domus preces propriæque salutis rationes liquidissimæ accederent: statuit tandem *Minda* potius beneuolentia præcipuorum virorum frui ac florere, quam se denuo inuidiæ fluctibus ac valetudinis periculo *Iena* exponere. Sæpius memini me ex ore ipsius audire, quod admodum iam male afflicto corpore *Iena* digressus, itinerum ac vitæ magis actiuæ vtilitatem tum primum rectæ cognouerit, quum a sedentaria vita semet subtraxisset. Atque

que ab eo tempore vsque in senectutem id maxime tenuit, vt quantum fieri posset, a sedendo sibi caueret. Quoties itaque aliquid meditabatur, deambulabat: quæ autem scribenda erant, inter ambulandum dictabat. Habebat etiam complures semper, quibus dictabat calamo excipienda, vel describenda dabat, quæ recensuerat. Ita vero agendo & sibi proderat, valetudinem tuendo; & illis, qui, dum ipsi a manu erant, rerum vtilissimarum ampla cognitione vix sentientes imbuebantur, & ad medicam prudentiam deducebantur.

Biennium hic lætus & felix exegerat, vbi animum cupido *incessit* exterasetiam regiones adeundi. Primum itaque ad Batauos excurrit, ibique præcipuas & florentissimas ciuitates ordine lustrauit, neminemque, cui ab arte & eruditione nomen paratum erat, insalutatam reliquit. Sed præcipue benevolentia celeberrimi Botanici Professoris *Lugdunensis*, Pauli HERMANNI, patria *Halenfis*, delectabatur, qui hunc ciuem suum non solum peramanter hospitio excipiebat, verum etiam quouis officiorum genere demereri non desisteat. Nauem deinde conscendit, & mense *Iulio* in *Britanniam* traiecit, vbi per aliquot menses *Londini* & *Oxonii* exactos, quicquid in physicis, anatomicis, chymicis vel mechanicis curiosum & vtile obuenit, auide considerauit, & ex clarissimorum virorum consuetudine fructum non

mediocrem percepit. Sæpius tunc familiariter cum illustri domino *Roberto* BOYLE versatus fuit, qui non obscure significauit, se virtuti & eruditioni *nostri* magnum pretium statuere, quum vltro sæpe ad se accerteret, & de rebus chymicis ac physicis longum colloquium institueret. Sed & SLARII, CRELLII aliorumque artis salutaris antistitum amorem & benevolentiam sibi comparauit. Tam optato huius itineris successu lætus Nouembri mente *Mindam* reuertebatur; pristinoque more ægrotantium languoribus depellendis indulgebat.

Sequenti anno MDCLXXXV. præsidio militari, quod apud *Mindenses* collocatum erat, cuique generosissimus & admodum strenuus vir, dominus *de* ZIETEN cum imperio præerat, medicus dabatur, & præter honestum salarium multum benevolentia, tam a summo harum copiarum ductore, quam a centurionibus & reliquis cohortium præfectis semper experiebatur, quoties cum ipsis aliquid esset negotii. Non hic subsistebar HOFFMANNI *nostri* felicitas, sed dexteritatem artis quotidiano vsu auctam pari passu insequabatur. Gloriosissimæ enim memoriae Princeps FRIDERICVS WILHELMVS, Elector *Brandenburgicus*, ipsum totius principatus *Mindensis* physicum prouincialem A. MDCLXXXVI. constituēbat, & honorificum medici aulici titulum adiungebat: sed & præcipui per illam prouinciam &  
comi-

comitatum *Rauenspergensis* nobiles suæ suorumque valetudinisque curæ libentius gerendæ ipsum annuis stipendiis obligabant. Cumque his ita inferuisset, vt præmonendo, consulendo, medendo industriam conseruandæque valetudinis & vitæ studium omnes intelligerent, numquam autem soltrum a quoquam ope sua vso exigeret, expertus est, hanc sibi viam ad commendationem & opes etiam comparandas certissimam esse, a qua numquam deinceps tota sua vita discessit.

Quum ita ad votum omnia *nostro* hic fluerent, accidit, vt eodem anno iam ad finem tendente status principatus *Halberstadiensis* ipsum ad se inuitarent, quo locum prouincialis medici, morte eius, qui munus id gesserat, vacuefactum, capesteret. Non ad spernandis conditionibus vocabatur; quum præter ordinarium, quo id munus gaudet, salarium multi ex præcipuis, tam vrbs, quam prouinciæ, viris annum ipsi stipendium decernerent. Nullus itaque dubitabat inuitantibus obsequi. Dum vero abitum in annum sequentem differt, interea nouam excursionem, comite affine suo, Domino *de VNVERFÆRTH* per *Brabantiam* & *Hollandiam* instituit. Ineunte igitur vere A. MDCLXXXVIII. *Halberstadium* petiit, incredibili omnium studio exceptus. Artis crebra documenta inter omnes generis homines edebat, tantumque sibi omnium amorem conciliabat,

vt expectationi quisque suæ abunde esse satisfactum fateretur. Eodem tempore solidam eruditionem suam medico orbi ostendebat tractatu de *insufficiencia acidi & visceri* in lucem edito, quo *Cornelii BONTEKOE* Archiatri *Brandenburgici* & Professoris medici in academia *Francofurtensi* hypotheses, tunc nouitatis eximia gratia florentes, de morborum causis, eodemque submouendi rationibus, oppugnauit, & multis tam ex theoria, quam praxi rationali desumptis argumentis ita destruxit, vt ex eo euilescerent, plane ab omnibus explosæ. Eius autem scripti laudes vel attingere superuacuum esset, postquam doctissimi viri, qui *acta eruditorum Lipsiæ* ediderunt, admodum honorifico elogio illud MDCLXXVIII. mense Iulio mactauerunt.

*Hornbusæ*, in principatu Halberstadiensi, larga aquarum salubrium scaturigo tunc prorumpebat; quo loco olim idem contigisse, sed mox defecisse, aliqui reminiscebantur. *Noster* in aquæ scaturientis naturam & vires accuratius tunc inquirebat, & incredibili hominum ægrotantium multitudini, quæ breui tempore affluebat, omni opera & studio consulere annitebatur. Huius vero laboris fructum hunc habuit, quod tot ægrotos inspiciendo, & maiorum originem exquirendo, curationum quoque successus obseruando & consignando, artis peritiam insigniter augebat, in diesque pluribus per rectorum

consiliorum optatos successus innotesceret & commendaretur. Extat de hoc fonte scriptum vernaculo sermone tunc a *nostro* editum.

Eodem tempore coepit animum contrahendo matrimonio adpellere, tamque felicibus auspiciis hoc negotium aggressus est, vt nulla re clarius forte intelligatur, quam bene Numen propitium rebus HOFFMANNI *nostri* fauerit, salutique eius prospexerit, quam considerata matrimonii illius felicitate. Elegit enim, Deo sic dirigente, & electa anno iam ad finem properante MDCLXXXVIII. potitus est virgine honestissima, & non minus venusto corpore, quam animo vera pietate, prudentia & mansuetudine ornatissima IOANNA DOROTHEA, viri integerrimi, probe docti & artis pharmaceuticæ consultissimi *Andreae* HERSTELLE, pharmacopœi *Claustbalensis* & *Zellerfeldensis*, vnica filia, femina ad exemplum proba & mariti per omnem vitam amantissima, cum qua per XXXVIII. annos coniunctissime vixit. Deo enim vitum fuit honestissimam matronam A. MDCCXXXVII. mortalium rebus eximere: de quo inferius dicendi locus recurret.

Circa hæc tempora ad exitum felicem deducebantur diu agitata consilia de academia in *Halensi* vrbe erigenda, iamque in eo erat, vt per omnes ordines eligerentur ac aduocarentur viri celeberrimi, a quibus expectari poterat, fore vt Serenissimi conditoris  
speci

spei ac voluntati satisfaceret. Aderant iam aliqui celeberrimi viri, qui omne sublimium disciplinarum bonarumque artium genus docendo famam noui *Heliconis* excitabant: iamque discendi cupidorum non manipuli, sed cohortes adfluxerant: erantque in illa multitudine studiosorum complures ex illustrissimis familiis orti iuuenes: prorsus, vt quemadmodum ex vegeto germine præstantiam ac proceritatem stirpis, & ex primitiis fructuum messis vbertatem: ita ex primo hoc initio præsentem, quam intuemur, felicitatem nouæ academix augurari liceret. His sese *Fridericus* HOFFMANNVS, medicinæ ac naturalis doctrinæ Professor primarius a Serenissimo Principe constitutus A. MDCLXXXIII. a. d. XXIII. Mart. in publica cathedra primum ostendebat, initiumque publici muneris faciebat recitanda oratione *de atheo ex artificiosissima corporis humani fabrica conuincendo*: quam typis mox publicis exscriptam Perillustri academix *Fridericianæ* Curatori ac Directori. *Dan. Ludolpho de DANCKELMANN* dedicabat. Ita autem placuit illa eruditis viris, vt propter illam numero medicorum theologorum pridem a pluribus adscriptus sit, & inter præcipuos relatus, qui contra atheos calamum cum fructu effatu digno strinxerunt.

Prima ipsum & præcipua cura distinebat, vt de omnibus, quæ ad muneris suscepti rationes pertinebant, prouide dispiceret. Conscripsit itaque facultatis

tatis



tatis medicæ statuta, eademque Serenissimo vniuersitatis conditori confirmanda obtulit: figillum etiam facultatis, quali hodie vtitur, inuenit. Deinceps de collega medico cogitauit; cumque Dominus D. *Georgius Ernestus STAHLIUS*, qui tunc Principi *Saxo-Vinariensi* faciebat medicinam, scriptis ad se literis veterem amicitiam *Ienæ* cultam renouaret, seque ad nouam academiam euocari cupere ostenderet: aulæ ipsum meliori modo commendauit, & collegam vt expetiit, ita impetrauit.

Proxima occupatio in vsum præsentium studiosorum dirigebatur, quibus in partes medicinæ omnes intimius deducendis omnem operam nauabat, scholasque tum publicas quam priuatas aperiebat. Probabat autem illam medicinæ tam faciendæ quam docendæ rationem, quæ corporis curandi omnium partium structuram ex anatomica autopsia ante omnia exquirat: actionum autem, quas viuæ edunt, causas tam ex motum æternis legibus, quam rerum, quæ in nos non agere non possunt, vt aeris, aquarum, ciborum, medicamentorumque viribus insitis eruit & indagat, atque ad hoc tam physicis quam chymicis & medico practicis experimentis vtitur. Atque anatomix docendæ vna cum practica medicina prouinciam nactus, eius multiplices vtilitates ad practicum vsum inculcandi occasionem crebram habuit,

d

nun-

nunquam autem dimisit, sed luculento academiae fructu eas administruit.

Diu enim abdicauerat illa dogmatum genera, vel auctoritati veterum innixa, vel ex hypothesi gratis adsumta, ratiociniorum intortorum ancipiti nexu, magno autem loquacitatis tractu deriuanda. Quumque non minus ea, quae vitam & sanitatem praestant, quam quae vel morbos inducunt, vel eosdem expellunt, cuius generis sunt res externae, in scholis dictae non naturales, necessitate & certis legibus agant; non poterat utique probare illorum rationes, qui talibus intuper habitis, aut leuissime tactis, principium aliquod vitale cogitans & intelligens praecipue respiciendum in medicina existimant, & ab illius vel sapientia vel erroribus omnia consequi arbitrantur. Grauius potius & creberrime inculcabat, animae vires in corpus utique magnas esse & conspicuas, verum magis ad laedendum corpus ac variis morbis exponendum eam valere: quod affectuum exemplo clarissime cognoscitur. Quicquid tamen vel mali hinc euenit vel boni, semper corporis statui alterando cedit: ut omnino medicus non possit succurrere vlla alia parte, quam corporis rationem habendo, inque eo occurrentes motus vel dirigendo vel moderando aut omnino sopiendo. Urgebat autem praecipue illam medicinae partem, quae aeris, ventorum, regionum, aquarum, ciborum, potuum vitae-

vitæque generum insignes vires ad vitam sanam præstandam, morbosque auertendos; atque ex horum praua vel constitutione vel vsu morborum ortus explicat; deinde vero vias recuperandi valetudinem & confirmandi ex eadem cognitione inuenit & designat.

In ipsa proinde medicina facienda ita pariter comparatus erat, atque auditores suos ita formabat, vt non sperarent a medicamentis vllis curationum optatos successus, tamquam illis perpetuæ & absolutæ vires inessent; sed ab ea corporum, quibus offeruntur, conditione, quæ efficaciam a medicinis exsertæ vel obsecundando vel resistendo & contra nitendo ad eas medendi vias ducitur, quæ præsentis curandorum statui maxime congruunt & ad salutem requiruntur. Hanc cognitionem in medico vocabat rationem siue potius iudicium, vniuersæ medicinæ præsidem, cuius beneficio omnium, quæ fieri aut facta esse vel ipsi videmus, vel ab aliis consignata legimus, causas inuenimus, facileque cognoscimus, cur ab eodem medicamento vel auxilii genere hic optimos, alter paucos, alius omnino nullos effectus annotauerit. Aegrotantibus, aut in alicuius morbi initio positis præcipue inculcabat, omnium aut saltem plerarumque ægritudinum sibi quemque causam esse; adeoque multum sane in vnoquoque situm esse, vt vel immunis a morbis ad conspicuam

ætatem perueniat, vel continuo delinquendo variis morbis obnoxius reddatur, vitæque exitum immaturum sibi contrahat. Multos itaque multarum medicinarum longo vſu magis indies magisque corruptos ad emendatiorem valetudinis ſtatum deduxit huiusmodi conſiliis, omninoque paucis & ſelectis medicinis apud tales, qui monitis audientes eſſent, plus effecit, quam antea infinita medicamentorum farrago & varietas potuerat efficere.

Qui medicinam ad naturæ vniuerſæ rationes ita reuocabat, optimo ſane naſcentis *Friſidericiæ* fato ad phyſicam docendam fuerat admotus. Huius enim tantopere ad humani generis commoda multiplicia comparatæ doctrinæ ſcholas aperiebat, non mera ratiocinia allaturas; ſed æque perſpicuis ac iucundis experimentis omnia ſenſibus probaturas. Splendidiffimum merito dicas primum illud auditorium, decem iluſtriſſimos Comites, ſex Barones, complures nobiles & honeſtos alios auditores complectens. Admirabilis ſane ardor ille comemoratione dignus viſus eſt, quoniam & felicitatem nouæ ac nondum ſollemniter dedicatæ academiæ comprobat, & præclaram fiduciam in docentis dexteritate poſitam oſtendit. Nam quum is philoſophiæ eandem partem ſedecim ordine collegiis tractauerit; neque deuiſſent, qui omni molimine applauſum hunc minuere conarentur: ſemper tamen habuit frequens & nobiliſſimis  
 ciui-

ciuibus effulgens auditorium, & in eo viros iam publicis & honorificis muneribus admotos, qui assidua præsencia sua testarentur, quantum huiusmodi solidum docendi genus æstimarent, ipsoque exemplo suo secus sentientium non satis sincera iudicia refutarent.

In promptu plures sunt, quos laudare suis nominibus liceret: sed sufficiat nunc celebrasse illustrem Ictum, intimum deinde Regis Consiliarium, *Christ. THOMASIVM*, qui ipsemet colligebat ex veteranis iurisprudentiæ cultoribus decem auditores, cum quibus integris quatuor mensibus HOFFMANNINO demonstrationes suas afferenti & explicanti assidebat: porro theologum post hæc *Ienensium*, *Io. Franc. BVDDEVM*, tunc philosophiæ apud nos doctorem, reticere nefas foret; quoties licuit, sedulus spectator & auditor adfuit. Neque minus fauit hinc demonstrationibus, qui tunc pariter philosophiam docebat, & nunc Regii & sanctioris consilii particeps, Cancellarii insuper academiæ *Fridericianæ* dignitate fulget, *D. Io. Petr. de LVDEWIG*, itemque *D. GOETSCHIVS*, Iurium Professor, omninoque multi, qui nunc summis dignitatibus fulgent, viri, tunc rerum naturalium cognitione se imbutos, indeque magnam per vniuersam vitam iucunditatem fructumque se percepisse, gratissima prædicatione commemorant, quoties vel per litteras cum

ipso colloquendi, vel coram compellandi occasio se obtulit.

Quum Serenissimus Elector FRIDERICVS III. a suo nomine vocandam vniuersitatem ipsis Kalendis Iuliis inaugurasset: postridie eius diei *nofter*, praesentibus Electore, aulae, vniuersitatis & vrbis proceribus decem medicinae doctores sollemni ritu creabat. Finitis autem sollemnibus, quum principi diutius *Hala* commorari non liceret, isque abiens clementissime iussisset, vt patres academiae deliberarent, si quid ad salutem *Fridericiana* in posterum tempus sanciendum existimarent: hi quidem re mature deliberata, duo ex suo ordine ad munificentissimum suum nutritorem miserunt, qui publica vniuersitatis negotia tractarent & conficerent. Delectus autem cum illustri ICto & Consiliario Electoris intimo, *Samuele STRYKIO nofter* eo proficiscebatur. Atque hi dumuiri non minori vniuersitatis bono, quam sua gloria, ex voto perfecerunt, vt priuilegia academiae amplissima sancirentur.

Reuersus ab illa legatione HOFFMANNVS totum se tradebat ornandis & prouehendis illis disciplinis, quas docere iussus fuerat. Inter alia tunc parauerat ex purissimo nitro & chalcanti oleo spiritum efficacissimum, vix coercibilem & perpetuo fumantem. Hunc quum variis modis tentaret, diuersisque corporibus coniungeret: animus etiam tulit oleo cui-

dam

dam athereo aromatico eundem affundere. Illico flamma vehemens a commixtione oriebatur, qua omnia fere conflagrabant, vt resinofum paucum in fundo restitaret. Et hoc quidem experimentum in demonstrationibus physicis sæpius auditoribus exhibuit, antequam de chymici *Parisiensis* regii, domini *Hombergii*, inuento quicquam esset proditum. Quoniam is vero primus de eo aliquid in *Gallia* scripsit; inuenti gloriam fere apud omnes externos reportauit. Sed rectius HOFFMANNI gloriae prospexerunt illustres duumviri, de TSCHIRNHAVSEN & de LEIBNITZ, qui tam pulchrum inuentum *nostro*, & merito quidem, vindicarunt, multis oculatis testibus conuicti, qui flammam, ex horum liquorum coniunctione ortam, in primis eius demonstrationibus physicis subinde fuerunt intuiti.

Quam multum in omni reliqua chymia tunc laborauerit, conspicuum reddit opus ab optimo quoque magnopere laudatum, *Petri POTERII, Andegauensis*, opera, annotationibus, additamentis & animaduersionibus emendata & illustrata, quod *Francofurti ad Mœnum* MDCLXXXVIII. editum summo eruditorum virorum plausu exceptum fuit. Et sane fatendum est, *Poteriana* hæc non alio magis nomine placere erudititis nostro sæculo posse, quam quod *Hoffmanniana* liberali industria expolita & exornata fuerunt. Plura de vltioribus in  
chy-

chymiam meritis *Hoffmannianis* interius dicendi commodior locus occurret: nunc aliqua interserenda sunt, quæ primis *Fridericiane* annis acta fuerant.

Tertio academiæ natali magistratum eius annum *noster* suscipiebat, ab illustri Icto *Sam. STRYKIO* ad se delatum. Vere dici potest, neminem forte ex omnibus, qui *Fridericiane* in perpetuum prodesse annisi sunt, feliciori successu quam *Fridericum HOFFMANNVM* primo hoc academico consulatu gavisum fuisse. Etenim hic fuit, cui licuit apud Perillustres ducatus *Magdeburgici* proceres efficere, ut viginti quatuor studiosis liberalem victum præbere annuerent; huicque beneficio mille thaleros in singulos annos præbendos adsignarent. Non satis hoc beneficio impetrato academiæ sibi obligasse se existimabat, nisi plures eidem principi deuotas prouincias exoraret, ut idem exemplum sequi vellent. Feliciter res succedebat, quum ad principatus *Halberstadiensis* Perillustres status preces deferret. Nam quum plures ex proceribus patronos sibi omni obsequio & valetudinis ipsorum prompta felicique cura parasset: facile eos exorauit, ut pro duodecim studiosis liberaliter alendis quingentos thaleros decernerent, idque suum beneficium perpetuum sancirent. Ut vero tanto munere ad reipublicæ emolumentum suumque verum commodum rectissime omnes vterentur; ipsemet tum hospitibus bonas leges præscripsit,



fit, tum etiam alumnis; quas a Perillustribus patronis ac mæcenatibus confirmatas promulgauit, & vt ab omnibus rite obseruarentur, eo maiori semper studio quæsiuit, quoniam vtriusque prouinciæ proceres ipsum alumnorum suorum ephorum legumque custodem constituerant.

Nec inter minima huius magistratus referri debet quod noster apud Serenissimum Principem Nutritorem impetrauit, vt ex redbitus cœnobii *Hillerslebiensis*, in ducatus *Magdeburgici* boreali limine inter *Haldenslebiam nouam* & *Wolmirstadium* siti, quingenti quotannis thaleri academia donarentur, pro collegio elegantioris litteraturæ fundandæ. Institutum hoc erat, vt in melioris ingenii & spectatioris industriæ aliquot iuuenes quadringenti thaleri quotannis impenderentur, qui se, hoc auctramento inducti, elegantiorum litterarum sollerti cura officii scholasticis ardentius præpararent, vt essent idonei viri, qui scholis præfici aliquando possent. Huic tanto consilio susceptæ rei præficietur, vna cum venerando theologo *Ioach. Iusto BREITHAVPTIO*, sacrorum *Hillerslebiensium* præposito & sacrarum litterarum Professore Seniore, vir vndiquaque Celebrerrimus *Christoph. CELLARIUS*, eloquentiæ, antiquitatum & historiarum Professor Publicus, cui pro labore isto centum thaleri decernebantur.

Fundamentum etiam bibliothecæ academiæ, quæ iam multis accessionibus aucta & locupletata est, idem HOFFMANNVS *noster* hoc anno feliciter iecit. Nam quum vir Consultissimus dominus D. SIMON, iurisprudentiæ Professor publicus, hoc anno decessisset, omnemque librarium apparatus suum publicis vsibus legasset; id vero quorum pertineret obscurum videretur: *noster* viduam defuncti adiit, ipsique persuasit, vt libros sibi pro academia traderet: quos protinus acceptos publico academiæ loco asseruandos intulit.

Satis hinc facile intelligitur quam multum pro publico *Fridericiana* bono HOFFMANNVS laborauerit. Sed non solum domi nulla in parte defuit eius commodis promouendis; verum etiam peregre missus eius nomine, dignitatem illius decore sustinuit. Nam post illam legationem, quam priuilegiorum impetrandorum & amplificandorum causa suscepisse eum diximus, iterum *Berolinum* adiit, vt sollemnibus exsequiis, quæ Regiæ A. MDCCV. memorabili pompa peragebantur, interesset: eodemque anno *Francofurtum ad Viadrum* mittebatur, vt illi academiæ, sæcularia gaudia celebranti, nostræ nomine gratularetur.

Quam celebre HOFFMANNI *nostrî* nomen etiam primis academici muneris annis per omnem *Germaniam* fuisse, ex multis licet cognoscere. Nam non solum

solum illustris *Academia Casaræ Naturæ Curiosorum* Præses Lucas SCHROECKIVS eum ad societatem honorifice & sponte inuitavit, quantumque eius in anatomicis, physicis ac chymicis indagationibus industriam æstimaret, *Democriti* nomine imposito testatus est: verum etiam Perillustris LEIBNITIVS eundem inter primos regię *scientiarum societatis*, quæ *Berolini* incunte hoc sæculo fundabatur, sodales adscribebat. Excitavit hoc nostrum ad obseruationes barometrico meteorologicas adornandas, quarum non nudas consignationes, sed ad vsum applicatas & in ætiologiam epidemiæ constitutionis conuersas condere ephemerides cogitabat. Exstat huius operæ specimen omnem annum MDCC. complexum: cui præmissæ sunt curiosæ meditationes physicae de ventorum causis eorundemque viribus & operationibus tam in hominum corpora quam in barometra. MDCCXVIII. in celeberrimam regiam *scientiarum societatem Britannicam* receptus, cui dein obseruationes suas physico - chymicas inscripsit. Postea sub auspiciis *societatis scientiarum Russicæ* per BLUMENTROSTIVM Archiatrum, genuinum ipsius discipulum, sodalis electus & per diploma transmissum, renouata illa societate, MDCCXXXV. Calend. Iunii sub Pæsidio Illustrissimi Ministri & Camerarii de KORFF pro membro honorario vna cum celeberrimi nominis Angliæ me-

dico domino SLOANE in classe physico-medica est declaratus.

Hic quoque amplissimus sane dicendi locus esset, si ex diurnorum libris exhibendi essent, quibus ægrotantibus opi & auxilio venerit. Neque tamen possum, quin aliquot ex maxime eminentibus & præcipuo loco positis attingam. Eminentissimus Elector *Moguntinus* LOTHARIUS FRANCISCUS ex primis erat, qui *nostrum* valetudinis tuendæ causa ad te euocauerunt. Ad hunc sapientissimum principem A. MDCCII. profectus, in aula eius aliquamdiu retinebatur, eiusdem precibus; quippe cupiebat omnino, vt coram intuendo omne vitæ eius genus, quæ vires corporis eius essent, quæque proprietates, cognosceret, vt tanto commodius rectis consiliis & auxiliis succurreret. Quantam in eius fide & dexteritate fiduciam poneret tantus princeps, non solum tunc ostendit, verum etiam omni deinceps tempore. Non enim solum de suæ valetudinis statu sæpe ad ipsum clementissime scripsit: verum etiam consilium eius in difficilioribus casibus ad forentem medicinam pertinentibus, sua manu exaratis litteris identidem requisivit. Eodem itinere ad aulas celsissimorum Landgrauiorum, tam *Hasso-Darmstadiensis*, quam *Cassellani*, invitabatur, vt in rebus ad valetudinem principum pertinentibus consilia suppeditaret. Atque sæpius deinceps

ceps ab aula *Cassellana* litteras accepit, quibus vel ad curationem aduocabatur, vel in medium consulere iubebatur.

Circa idem tempus *Cizam* vocabatur a Celsissima Principe MARIA AMALIA Potentissimi *Borussie* Regis FRIDERICI I. sorore, MAVRITIO WILHELMO, Duci *Saxo-Cizensi* nupta: cuius gratia tantum florebat HOFFMANNVS, vt per plurimos deinceps annos eodem sapius vocaretur, nunquam non clementer habitus & honorifice dimissus.

Neque defuerunt magni principes, qui ipsum in suas terras inuitarent, & splendida satis munera offerrent. Sic factum a morte celeberrimi MEIBOMII scimus, vt in academiam *Iuliam* ipsum pertraherentur, quorum est de talibus negotiis deliberare. Neque minus ab aula *Guelpherbytana* in locum defuncti BEHRENSII archiater desiderabatur. Omnium autem maxime, serio & multum requirebatur, vt in *Cassellana* aula archiatri munus capefferet. Enimuero omnibus se modeste excusabat *noster*, cui patriæ inseruire pulcherrimum videbatur: aulæ autem seruitiis se mancipare non solum molestum, sed cum periculo etiam multo coniunctum videbatur. Et sane plus gratiæ est magno & celebri medico, qui ad magnates vocatus venit, & peracto negotio abit, quam qui semel adstrictus cum empiricis omnis generis luctari, aduersus inuidiam autem, calumniam

& factum aulicorum perpetuas excubias agere debet, prorsusque sæpe cum gemitu sub magno strepitu boni viri officium exercere.

Anno MDCCIII. WEISIO iuniore Archiatro Regis Borussiae mortuo nomine Regis, qui tunc temporis Magdeburgi degebat, nostro HOFFMANNO ab illustrissimo Camerario Comite de *Wartensberg* splendida hæc sparta fuit oblata, sed ipse humillime, ob prætextam infirmi corporis valetudinem, summam hanc clementiam deprecatus; breui vero tempore diplomate Regio in numerum Consiliariorum & archiatrorum receptus est; vacuefactum autem Archiatri munus *Gundelsheimerus*, ex *Gallia* redux, obtinuit.

Anno huius sæculi quarto rogabant ipsum aliqui aulæ *Berolinensis* primarii ministri, quibus auctor fuerat, ut thermarum *Bobemiae* *Carolinarum* usum experirentur, secum ut iter istud institueret, fontisque huius aquis recte utendi modos edoceret. Hac occasione ita utebatur, ut naturam & vires admirabilis huius scaturiginis ad examen accuratius reuocaret. Quicquid igitur per complura experimenta tunc cognouerat, id omne cum publico communicabat, scripta eleganti dissertatione de *thermis Carolinis*, quæ sæpius typis renouata & in vernaculum etiam sermonem translata legitur, cum pluribus aliis, quæ ad fontes soterios pertinentia deinceps obseruauit, & in usus publicos convertit, Sæpius enim post-

posthæc easdem *Bohemia* salubres aquas adiit, hortantibus ipsum principibus aut aliis illustribus ægrotis, quibus spem emendandæ valetudinis ab hac medicina diuinitus concessa fecerat. Factum hinc fuit, vt HOFFMANNVS magis magisque indies innotesceret: quum singulis annis magna ægrotantium multitudo ad thermas confluat: qui quum ipsius consilia pluribus fuisse salutaria intelligerent, non solum tunc iisdem vti volebant, verum postea etiam per litteras edoceri modos & vias ad salutem recuperandam proficuas desiderabant.

Nolumus multa cumulare de summorum hominum personis, quarum saluti tuendæ aut reparandæ fontium vsum attemperauit: neque tamen reticendum est, *Augustissimæ Imperatrici* A. MDCCXXI. thermis hisce vtenti vocatus adfuerit, & quod deinde A. MDCCXXXII. *Augustissimo Imperatori* CAROLO VI. vna cum AVGVSTISSIMA ad hoc fontes profectis consilio adfuerit. Incredibili studio fauebat summus hic christiani orbis Monarcha intelligendis harum aquarum principiis & constitutiuis partibus, quas HOFFMANNVS coram per experimenta omnis generis demonstrabat. Non opus est hic multis commemorare, quam conspicuis summæ clementiæ signis Augustissimæ personæ hunc medicum prosequutæ fuerint, quantisque magnificis muneribus exornatum dimiserint: illud certum est, quod & postero

stero tempore non intermiserint, HOFFMANNI nomen honorifice commemorare, & laudare industriam ac peritiam in se curandis comprobata, etiam coram Potentissimo Rege *Prussiae*, cum *Praga* praesens adesset.

Illis tam crebris itineribus in *Bobemiam* detexit *noster* iam A. MDCCXVII. aquas amaro cathartico sale pollentes *Sedlicenses*, earumque prima mentio publice facta est in dissertatione inaugurali, quae *observationes & cautela circa acidularum & thermarum usum & abusum* inscribitur. Sed quum post sex annos ad thermas rediret, *Augustissimae* inferuiturus, eiusque mentionem apud Celeberrimum & Perillustrem archiatrum Caesarem, dominum *Nic. Pium de GARELLI*, iniiceret, horumque duumvirorum sententia illae aquae & ex iisdem paratum sal comprobatum commendatumque esset: mirum erat, quantam mox celebritatem per vniuersam *Germaniam* consequerentur.

Neque tamen his thermis solum, aut his, quas modo no minauimus, aquis *Sedlicensibus* illustrandis operam dedit, sed omnino ad omnes aquas foterias, & inter has praecipue ad acidulas, industriam suam conuertit. Infederat nostratium animis peruulgata opinio, quod thermarum & acidularum natura toto, quod aiunt, caelo distet, & quod haec acidum aliquod foueant. Ostendit autem *noster* perspicue, quod



quod non solum ab acido longe distent acidulæ, quippe potius alcalini salis prædominio insignes, sed quod omnino a thermis acidulæ vno tantum illo discrepent, quia calore destituuntur. Primus itaque fuit noster HOFFMANNVS, qui docuit acidulas & minerales aquas cum lactis connubio tuto & cum singulari fructu esse potandas, quod olim valde exitiosum habebatur a medicis, qui harum aquarum genium ac naturam ignorabant. Præterea quam optime docuit iustos omnibus his fontibus vtendi modos, cum omnibus cautelis, quæ ex modo illarum aquarum operandi, & corporum, in diuersis ab ætate, temperamento & morbo constitutionibus, diuerso statu resultant. Tantum igitur abest, vt nobilissima hæc sanitatis principia, quæ Deus humano generi ex terræ visceribus suppeditat, abusibus pristinis reliquerit, aut persuasionibus ab empirico & imperito vsu olim stabilitis obnoxia eadem passus fuerit: vt potius omni nisu ad rationalem vsum ea reuocauerit. De aliquibus fontibus seorsim commentando, vt de *Selteranis* & *Lauchstadiensibus*, quorum insignissimum, tum in auertendis tum in debellandis contumacibus morbis, vsum primus omnium recte detexit, & peculiaribus de iisdem conscriptis dissertationibus docuit, vt inde famam celebritatemque non modo per Germaniam, sed per plurimas quoque exteras regiones testimonii

f  
fui

fui auctoritate consecuti sint, in non leue vrbium, apud quas scaturiunt, incrementum & incolarum, quod gratissimo etiam animo agnoscunt, emolumentum.

Crebrorum ad fontes *Carolinos* itinerum etiam ille fructus erat, vt Potentissimo Regi *Boruffiæ* FRIDERICO I. propius innotesceret. Nam quum anno MDCCVIII. quo Rex fontium horum vsum experiebatur, multi ex præcipua nobilitate viri medica HOFFMANNI opera vterentur, & ad salutationis officium admissi prædicarent viri huius peritiam: iubebat Rex ipsummet ad se vocari, multaque de suæ valetudinis statu colloquutus, iubebat, vt ad se frequentius veniret. Id quum faceret HOFFMANNVS, & Rex Clementissimus non obscure ostenderet, se viro huic multum confidere, & eruditis sermonibus eius plurimum delectari: iam tunc aliqui non obscuris signis ostendebant, quam suspectum ipsum haberent; suæ scilicet existimationi decessurum rati, quantum Rex huic tribueret.

Anni huius vltimis mensibus Rex Potentissimus aduersa valetudine grauiter affligebatur. Et quum nulla medicina constantem adferre opem videretur, in mentem Regis veniebat HOFFMANNVS, a Serenissima sorore sua toties ipsi commendatus, & nuper ad *Carolinas* thermas propius cognitus. Iubebat igitur per celeres nuncios, eum pro-

protinus advocari, vt inter cæteros medicos salutis regię curam susciperet.

Non recusare HOFFMANNVS poterat, quod Rex serio volebat; quamquam bene intelligeret, quam sit lubrica aulicorum virorum fortuna, atque vita omnis libertatis & quietis ratione animi & corporis expers. Abiit igitur iam ad exitum vergente anno, diuino Numine fretus & sapientissimi Regis gratia confusus. Atque primo statim aduentu suo industriam fidemque suam Regi adeo probabat, vt is proprię voluntatis instinctu *nostrum* inter consiliarios aulicos adscilceret & archiatrorum tuorum collegio illum cum amplissimo salario adiungeret. Proinde tamen HOFFMANNVS sibi academicum munus conseruari petebat, quum semper tranquillis musis inseruire, quam in aula continuo verlari satius putasset: cui desiderio Rex clementissime adnuebat.

Ab hoc itaque tempore HOFFMANNVS per tres solidos annos, & quod excurrit, tanta fide tamque promptis & paratis obsequiis inseruiebat aulę, vt Regi Reginęque abunde satisfaceret, neque vumquam in ipso vel fides & assiduitas, vel dexteritas desideraretur. Non autem modici laboris res erat, Regi haud firmissima valetudine prædito, per hibernos menses grauibus pathematibus vexato, inseruire: sæpeque integras noctes corporis proprii necessarię cu-

ræ subtrahere, & cum diebus noctes continuare opus erat. Neque minus Regina ipsi laborem facebat pathematibus subinde grauioribus obnoxia. Has tamen aerumnas, utpote officii partes, facile superabat, & conscientia recte diligenterque natae industriæ molestias omnes inde enatas solabatur: præsertim quum Regias personas clementissima voluntate se prosequi intelligeret. At vero ipsa muneris sui tam diligens cura, & indefessum illud studium omnes officii demandati partes implendi, obiciebat ipsum molestissimæ inuidiæ mox etiam capitalibus odiis collegarum, præsertim *Andrea GVNDELSEIMERI*, qui nunquam promotus, cum celeberrimo *TOVRNEFORTIO* Regis Galliæ sumtibus, itinere per Græciam & Ægyptum instituto, adfuisset, aulæ *Berolinensi* redux commendatus, violentas medicinas, etiam ex regia familia ortis, porrigebat, cui *noſter* modeste conscientiæ vi impulsus contradicebat.

Multa dici hic possent de controuersis, *HOFFMANNO* valde molestis, quæ ipsi cum hoc viro intercesserunt. Quum vero neminem magnopere iuuare posse videatur hæc recensio; ista vero, quæ ad concertationis huius causam pertinent, in *medicinæ consultatoria* volumine primo pridem legantur ample exposita: malumus rem totam sicco pede præterire, postquam in viuis esse pridem desierunt,

erunt, qui tunc aduersarii grauissimi fuerunt. Certe ab HOFFMANNI moribus alienissimum fuisse, vt vllum vmquam hominem lacefferet, ex eo cognoscitur, quod nullius vmquam controuersia initium ipsemet fecit: & quod multis satis diserte contra se insurgentibus, quin insultantibus nihil omnino respondere; reique diiudicandæ arbitrium erudito orbi permittere maluit, quam disceptationibus bonas horas disperdere. Quicquid autem hic fecit, quo aduersarius irritatus fuit, ita cum iurata fide, qua obstrictus tenebatur, arcto vinculo cohærebat, vt sine officii neglecti grauissimo reatu non potuisset omitti.

Ob plura itaque & graua tædia aulica dimissus HOFFMANNVS repetebat dulcissimam patriam A. MDCCXII. mense Iunio, & ad intermissas aliquamdiu occupationes academicas tanto maiori alacritate redibat, quo maiorem ex illo otio dulcedinem iucunditatemque nunc percipiebat. Non possum quin hoc loco commemorem, quæ Medicus Ioannes PAPIVS ad KEPLERVM scripsit *epist. de vita aulica XL. pag. 76. non est, ait, quod mireris consilium meum de migratione in Borussiam, locum minus, vt videri potest, tutum. Expertus ego sum huc vsque vitam primum academicam, tum hinc (Onolsbachi) aulicam: contabesco propemodum recordatione vita*

*academica, tanta eius est bonitas, si cum ceteris conferatur. Huic si accedat copiosa praxeos, ut nos loquimur, facultas regiam fere vitam dixerit. In aulis est splendida miseria, imo omnis aularum ratio liberalibus ingeniis est inimicissima.*

Si quid temporis relinquerunt vel studiosæ iuuentutis institutio vel ægrotantium querelæ, id ita diuidebat, ut partem impenderet scriptis olim editis nunc recensendis & per fasciculos edendis, aliquibus etiam ab integro condendis: partem alteram tribueret naturæ per experimenta chymica profundius scrutandæ. Hinc factum est, ut ab illo tempore *dissertationum* olim emissarum *decuriæ* apud *Batavos* excuderentur: aliquis etiam fasciculus, ad *thermas* & *acidulas* pertinentia complexus, *Vlmæ* prælum subiret; quem mox alius exceperit, qui diuersi argumenti minora opuscula, antea separatim edita, coniungebat.

Prope iam sexagenarius animum adiciebat condendæ *medicinæ rationali systematicæ*, cuius primam partem luci publicæ susebat A. MDCCXVIII. quam ceteræ ad hunc vsque præsentem, quo ultimam manum operi immortalis octogenarius imposuit, per iusta interualla exceperunt. Merito videntur reprehendendi, qui ad medicinæ, vel cuiuscunque artis, quæ rationibus per experientiam longam comprobandis & firmandis constat, systemata con-

denda

denda iuuenes accedunt; aliënaque fide conscribunt non satis intellecta. Ex quibus dum multa ratiociniis potius consentaneis, quam certa scientia erunt, curandique methodos eliciunt: fit, vt & ipsi ætate iam prouectiores facti, multa, quæ corrigant, in suis scriptis deprehendant, & alii eorum præscripta sequuti, ægrotantes non paucos pessumdent. Quod si ad scribendum nemo accederet, nisi multum experiendo confirmatus; in experiendo autem ratione prælucente duceretur, vt euentuum causas rite erueret; breui omnino futurum videtur, vt certum, quod sequamur, minime obscurum esset dissensionumque infinita multitudo aut omnino tolleretur, aut ad insignem paucitatem redigeretur. HOFFMANNVS certe, qui tot annos docendo & artis opera edendo consumerat, semperque euentus fideliter notatos accurata & repetita meditatione ad veras causas reuocare annitus fuerat, ostendit suo exemplo, quantum in rationibus inueniendis & reddendis feliciores simus maioribus, qui eandem rem moliti fuerunt.

Quemadmodum vero ad lucis claritatem cognoscendam nulla alia re opus est, nisi oculo sano & aperto; eiusque vsura omnibus iucunda & utilis accidit: sic omnino *Hoffmanniana* de medicis doctrinis præcepta ita vniuersis, ad quos ea penetrauerunt, facilia, plana & luculenta sunt visa, vt vix alius li-  
ber

ber nostra patrumque memoria æquali plausu susceptus fuerit. Nam quum bibliopola, apud quem primum emissa fuerunt, plerasque partes bis terue renouare debuerit: exteri etiam in eius messem inuolauerunt, & tam extra *Germaniam*, *Venetis* & *Basilea*, quam in illa *Francofurti*, recudendum illud medicinæ systematicæ opus susceperunt, inuito quidem auctore omnes, præter honestissimos illos viros *Lugdunenses*, a quibus omnium suorum scriptorum editionem fieri, non solum consensit, verum etiam exempla passim correctæ & locupletata iisdem suppeditauit. In *Gallicum* sermonem conuersæ medicinæ systematicæ primam partem & *Parisis* emissam his diebus conspeximus; in quo tam egregio opere qualem se præstiterit, sera etiam posteritas liuoris expertus longe adhuc apertius prædicabit.

Eodem tempore, quo ad medicinam rationalem systematicam accedebat, alius vtilissimi operis editionem aggrediebatur. Nam quum tot annis sæpius accidisset, vt vel ordinis medici nomine respondendum esset de casibus propositis, vel ad medicinam forensam vel curandorum salutem pertinentibus; neque minus crebræ, immo longe etiam frequentius ad ipsum solum directæ adferrentur litteræ, quibus consilia expetebant vel ipsi decumbentes, vel de illorum salute solliciti medici: cœpit illa colligere, & per fasciculos edere sub titulo *medicina consultatoria*.



*toria.* Atque huius iam *duodecim tomi*, quorum quisque decurias quinque complectitur, quod opus vix apud nos prodierat, quum iam binis locis, vt *Amstelodami* & *Francofurti ad Mœnum*, recusum conspiceretur.

Putares virum tot scriptis elaborandis, tot consiliis scribendis occupatum non aliis semet indulgere potuisse laboribus. Enimuero longe aliter se res habet, plurimique sunt, quibus vel in hac vrbe, vel peregre degentibus operam suam nauauit, vt graves morbos deuincerent. A quo enim tempore, aula relicta, huc reuersus est, vix vlla aula Serenissimorum Principum *Saxoniae*, aut *Anbaltinorum* fuit, quæ non HOFFMANNI opera & consiliis vsa fuerit, eumque identidem ad se inuitauerit. *Schvartzburgicus* Princeps semel iterumque eum ad se vocauit: sub cuius clementia per auctoritatem Imperatoriam Anno MDCCXXVII. mense Iulio Comitis Palatini munus obtinuit. *Cassellas* ad Serenissimi Landgrafii curationem expetitus iuit, vt & *Guelpherbytum* ad principis salutem procurandam accitus fuit. Longum foret, si principes, comites, aliosque ex prima nobilitate proceres recensere velim, quorum valetudini tuendæ, aut languoribus tollendis consilia misit: aut si enumerare velim, quot magnates ex remotis regionibus huc venerint, & curandos se ipsi præbuerint, magnumque fructum ab ipso consequuti sint.

Nolumus quoque hic referre, quantum per omnem vitam temporis impenderit litterarum commercio, quod cum summis nostri æui & medicis & philosophis maximeque cum magno LEIBNITIO, Imperatoris Regumque archiatri & plurimis professoribus, tam in quam extra Germaniam, de rebus physicis ac medicis habuit, de quibus alio forte tempore meminisse iuuabit.

Anni MDCCXXXIV. æstate iam adulta HOFFMANNVS *Berolinum* accedebat, vt vbi habitantes charissimos, generum filiamque vnicam, cum familia ipsorum inuiseret. Accidebat tunc, vt triste nuncium adferretur de grauissimo & fere desperato viro morbo, qui Potentissimum Regem in castris ad *Rbenum* cortipuerat. Quum iam in eo esset, vt ad nos reuerteretur, non solum regii ministri suadebant, sed etiam Clementissima Regina iubebat diutius subsistere, vt ad manus esset, si consilium ipsius expetendum videretur. Et sane eadem vespere, quæ regem *Potsdamio* reddiderat, celerrimo nuncio accersebatur; quo non parum faciebat, quod celeberrimus Batorum Medicus *Hermannus BOERHAVE* de morbo consultus, *nostri* potissimum opera vti suaserat.

Non leuis erat morbus, qui optimum patriæ patrem affligebat, eiusque initia iam a tertio anno incederant, & mora fuerant confirmata, Asthma  
erat

erat hydropicum, quod omnino plus terroris, quam bonæ spei ostendebat: omninoque magni viri, quorum consilia requisita antea fuerant, aperte declarauerant, quod plus metuerent, quam bene sperarent.

Enimvero Dei clementiæ tribuendum est, quod ex ingenti discrimine liberatum patriæ patrem recuperavimus. Neque parum effecit animus Regis inter tot molestias semper alacris, nunquam earum grauitate depressus; rectisque consiliis audiendis ac admittendis paratissimus. Nunquam enim diætæ præscriptas regulas migrabat, ac medicinarum vsui sese libenter præbebat.

Quinque mensium spacio consumto, quo tempore HOFFMANNVS regiæ valetudini recuperandæ vna cum eruditis & celeberrimis viris HORSCHIO præcipue ac ELLERO, ad eandem curationem vocatis, præcipuam operam dederat; id omne effectum dabatur, quod infinita hominum millia ardentissimis precibus a summo Numine efflagitauerant. Pater patriæ non solum inmunitatem a doloribus & molestiis consequutus erat; verum etiam pristinas vires, Dei munere, collegerat, vt prodire & negotiis solita alacritate peragendis impendere se posset.

Euenisse tum omnibus diceres, quod Alexandri militibus, cum is Philippi medici arte & cura confirmatus subito in conspectum illorum venit, vt,

quemadmodum illi non auidius ipsum regem quam Philippum intuiti fuerunt, ita omnes pari admiratione & Regem & HOFFMANNVM adspexerint ac pro se quisque gratiam habuerint regiae valetudinis ac vitae post Deum statori & conseruatori sollertissimo. Iam vero Rex Clementissimus nihil omittebat, quo HOFFMANNO ostenderet, quanta ipsum gratia complecteretur. Non solum splendidis muneribus laborem ac studium tanto tempore exantlatum compensabat, verum etiam sapissime, praesentibus legatis ac proceribus, profitebatur, quod post Deum immortalem recuperatae valetudinis beneficium ipsi deberet. Ornandum itaque honoribus etiam clementissime censuit: tantoque id magis se etiam facere professus est, vt orbis cognoscat, quantum amet virum, quem alio tempore inimicorum malae artes in eadem aula opprimere conatae fuerant. Sua igitur sponte ipsum *consiliariorum intimorum* ordini adiunxit, filioque vnico cognomini, paternarum virtutum aemulo, inter *Fridericianae* academiae professores medicos ordinarium locum tribuit, & consilarii aulici honorificam dignitatem adiunxit.

Neque minus fuit in Clementissima Regina studium HOFFMANNO benignissimam voluntatem suam declarandi. Nam inter alia praeclearissima munera donauit ipsum sua imagine, quam celeberrimus pictor summo

mo artificio elaborauerat; ab eodemque pingi HOFFMANNVM iubebat, vt in regio ſecceſſu *Monbijou* collocaretur. Scripta etiam viri omnia mitti ſibi iubebat, bibliothecæ eiusdem arcis inferenda. Sæpius inter hæc proponebatur ipſi, cupere vtique Regem & Reginam, vt in propinquo eſſet, promteque poſſet, ſi quid accideret, ad opem ferendam aduocari. Enimvero excuſabat ſe ſe iisdem argumentis, quibus quondam apud regem DAVIDEM ſenex BARSILAVS fuerat uſus & opus eſſe dicebat, vt in tam adulta ſenectute ad vitam beatam ſe præparet, & breue, quod ipſi viuendum ſit, tempus medicinæ ſuæ tyſtematicæ ad finem perducendæ & conſiliis ſaluberrimis dandis impendat: neque minus clementer admiſſa huius excuſatio fuit, quam illius fuerat.

Menſis itaque Aprilis A. MDCCXXXV. initio Clementiſſimo Regi valedixit, ac non ſine multa gratiæ propenſiſſimæ ſignificatione, cui oſculum Rex adiiciebat, dimiſſus fuit. Ad ſuos ſaluus omnino redux maximo gaudio non ſolum domi ſuæ, a qua octo menſibus abſuerat, exceptus, verum etiam academiæ & vrbiſ ſtudioſiſſima congratulatione, quæ venerandum ſenem, tamquam præcipuum decus ſuum, & ante obſeruauerat, & nunc tanto ardentius excipiebat, quum tot præclaris laudibus illud meritum diuinum Numen adieciffet, quod regem optimum & clementiſſimum ſeruauiffet.

Crebris ab eo tempore litteris, etiam ipsissima Regis manu signatis, & insignibus muneribus per singulos fere annos transmissis, certior redditus fuit de propensissima in se voluntate, qui non semel Regia sua manu testatus est, vitæ suæ conseruationem post Deum ipsius curæ deberi. Vt vero etiam academia Fridericana, cuius senior iam est, cognosceret, quantum Rex cupiat consilia huius, tam multorum annorum vsu exercitati viri, apud eum plurimum valere, Augustali libello iubebatur, nullam rem alicuius momenti absque eius consilio & sententia perficere.

Tam felicem & fortunatam HOFFMANNI senectutem haud modice interpellabat A. MDCCXXXVII. grauis morbus, qui dilectissimam eius coniugem, qua cum per XXXVIII. annos coniunctissime vixerat, ab ipso diuellebat, in placidam eius mortem terminatus. Sed hoc quoque aduersum eo animo, qui Christianum & philosophum decet, perferebat moderatissime atque cogitationes a tristibus auertendo impendebat piis meditationibus. Eo enim tempore omnem christianæ doctrinæ summam perspicua & neruosa breuitate, verbisque *Latinis* complectebatur & cum publico communicabat. Quum de eo scripto apud Regem Clementissimum mentio facta esset illeque gratiosissimis litteris ostenderet, se cupere, illud etiam vernaculo sermone exstare, non poterat defu-

defugere iussum, efficiebatque vt primo quoque tempore *Germanica* linguæ legeretur.

Anni MDCCXXXVIII. æstate grauissimus morbus febrilis optimum virum occupabat & non mediocriter affligebat: prorsus vt multis metuendi causæ plures & maiores, quam bene sperandi, viderentur. Diuino tamen munere factum est, vt recuperauerimus virum, ipsiusque vegeta & alacri senectute gaudeamus, nuper octogesimum primum viæ annum ingressa. Ultimo nec reticendum est indefatigabile ipsius in ipsa hac extrema ætate discendis inseruendi studium; siquidem per integros iam octo annos eam publice docendi iniit rationem, vt auditores, theoreticis præceptis bene instructos, recta medendi scientia imbueret. Quem in finem quouis semestri collegium medico-præctico-clinicum aperuit, in quo accurate conscriptos & ab exteris ad se transmissos casus communicauit, & ex his veras, tam proximas quam mediatas, causas solide eruit, quibus dein genuinam sanandi methodum superstruxit ac candide docuit, Dici vix potest, quem singularem plane fructum ac vsum ii inde percipiant, qui artem salutarem feliciter & cum laude exercere cogitant. In tota enim medica scientia plurimum sibi observatio & longus rerum vsus vendicat, qui optimus medicinæ interpret & docendi discendique magister merito prædicatur. Atque hæc inter nec publica academix negotia vmquam refugit: sed ita emolumentis eius procurandis & amplificandis studet, vt se vires vigoremque omnem propterea a benigno Numine accepisse existimet, vt aliis inseruendo consumat. Maximum huius animi documentum nuper dedit, quum anni huius supra millesimum & septingentesimum quadragesimi XII. Ian. die ad se ordine quin-

quintum rediens Prorektoratus arduum & molestissimum munus senio iam languescens humeris imponi pateretur, victus eorum precibus, qui, quantum vniuersis a prudentia & auctoritate eius accessurum esset commodum, ex prægressorum magistratum felicitate metiebantur. Faxit Deus, vt non solum hunc iam octogesimum primum optabili valetudine perficiat, magistratumque felix lætusque absoluat: sed & multos deinceps annos subiungat: vt optimo viro, communi vtique bono, patria vrbs, Fridericiana academia, regia domus, vniuersum genus humanum, quibus commentando ac consulendo prodest, diutissime saluo & incolumi perfruantur.

Atque nunc sermonis filum abrumpo, commentandique finem facio. Satis tenuiter hæc de summis viri meritis esse tradita, ipsemet agnosco: quamque multa dici porro potuerint aut debuerint de laudibus eius optime video. Quoniam tamen ad hanc scriptionem accedere, nisi impetrata venia & exoratis subsidiis, nolui; non alia autem conditione illam nactus sum, quam vt parcerem modestiæ ipsius, quæ professam laudationem minime perferre potest: simplici hac vitæ factorumque recensione defungendum fuit. Certe non deerit amplissima dicendi materia cuiusque ad laudandas virtutes, quæ illustres & summæ in eo eluxerunt, progressuro: atque vt vitæ etiam annorumque series, longius diuino beneficio producta, plurima, quæ his addi debeant, facta suppeditet, omnibus votis ab illo expeto, qui vitam resque mortalium omnes liberrimo arbitrio moderatur.

